



Epistola aperta patris Raphaëlis T. A. Reijnard sanctissimo patri Leoni XIII

<https://hdl.handle.net/1874/235974>

mm13156

Alv. 2-109

EPISTOLA APERTA

Patris RAPHAËL T. A. REIJNARD,

SANCTISSIMO

Patri LEO XIII.


Pontifici Sanctae Romanae Ecclesiae
Catholicae.



ROTTERDANUM,

J. W. VAN LEENHOFF & ZOON,

1893.



ALV Vak 2

EPISTOLA APERTA

109

Patris Raphaëlis T. A. Reijnard,

*in geest van de heilige
kerk gesproken*

SANCTISSIMO PATRI

*versch. ma de dood v. wijzen; en
in de wereld*

LEONI XIII.

Libellus

famulus;

Auctorem eximare

volebant!

ROTTERDANUM.
J. W. VAN LEENHOFF & ZOON.

1893.



Epistola aperta Patris Raphaëlis T. A. Reijnard

Sanctissimo Patri LEONI XIII

Pontifici Sanctae Romanae Ecclesiae

Catholicae Maximo.

Sanctissime Pater,

Concede mihi quaeso, Sanctissime ac Carissime Pater, ut demississimae reverentiae, sincerissimae fidei ac maximi filialis amoris sencis appropinquem ad Regale Solium Tuum, et genibus ante pedes Tuos provolutus, a Majestate Tua gratiam efflagitem, quae non minus aequa et justa quam benevola et gratiosa est.

Nunquam tamen via publica conspectui Tuo apparere auderem, si mihi facultas alia via ad Paternitatem Tuam perveniendi data esset; nunquam illam gratiam a Sanctitate Tua deprecarer, si mihi tantum prodesset, et simul non aeternae multis decies centenus hominum millibus esset saluti; nunquam me ad omnium fidelium Patrem convertere accingerem, si non intime mihi de indefesso divini honoris, zelo, de paterna humanae salutis sollicitudine, ac de severa S. R. Ecclesiae Pontificis Maximi justitia, in cuique jus suum tribuendo persuasum esset. At cum omnibus alis humanis destitutis in conventu detinear; cum res agatur de bono communi, quae non perdenda sed necessario vincenda sit mihique facultas via ordinaria ac legitima

litem perorandi expresse interdicatur, extrema necessitate coactus scriptura publica uti debeo, quae mihi et omnibus, qui jus divinum humanumque amant ac diligunt, iter pandet ad Venerandam Personam Tuam, ut a Majestate Tua humiliter obsecremus ac benigne impetremus extirpationem abusuum, quibus gravissimum divino honori et animarum saluti afferatur damnum.

Eum in finem Paternitati Tuae primum sincere referam et clare atque evidenter exponam pro qua re per multos annos strenue certavi; deinde Tibi dicam, quo modo usque in hodiernum diem prohibear ullam reportare victoriam; ut tandem perveniamus ad postulata nostra, quae ut Sanctitas Tua, id quod firmiter speramus et humiliter atque enixe oramus, ne aspernetur.

Servus Tuus, Sanctissime Pater, est vir quinquaginta octo annorum, simplex sacerdos et confessarius Ordinis S. Francisci in Neerlandia. Divina gratia per unum et triginta annos, quorum viginti annos in Seraphicis stationibus et undecim annos in conventibus nostris moratus est, in illo glorioso Ordine vivit. Servus Tuus, cum septendecim annos eo in Ordine Domino famulasset, non sine singulari divina Providentia didicit, ex diverso conventuum et stationum vivendi modo exoriri sequelas perniciosissimas. Sunt enim, Dilectissime Pater, hac in Seraphica Germaniae Inferioris Provincia quinque conventus et viginti quinque stationes, in quibus stationibus modus vivendi est adeo liberalior atque a conventuum tantopere differt, ut quis deberet oculis esse captus, si non videret ex eo discrimine, attenta communi humana fragilitate, necessario esse oriundas deordinationes perniciosissimas. Nam, ut aliquid dicam: in conventibus vix attingere audemus pecuniae, cum in stationibus de magnis pecuniae summis ad libitum disponant pastores. In conventibus cellulas inhabitamus, quae altissimam paupertatem prae se ferunt, cum in stationibus camerae incolantur supellectili, more saecularium, bene instructae. In conventibus gestantur viles rudesque poenitentiae habitus, cum in stationibus vestimenta adhibeantur subtilia pretiosaque. Patres conventuum media nocte e lecto surgunt et ecclesiam ad Dominum laudandum nudis pedibus ingrediuntur, non ita in stationibus.

In conventibus nunquam vinum adustum bibitur, quotidie vero in stationibus. Raro datur in conventibus vinum, quotidie vero in fere omnibus stationibus. In conventibus semel tantum per annum conceditur recreatio ad vespers usque ad horam nonam, cum in stationibus singulis vespers sumatur recreatio usque ad horam decimam undecimam aut mediam noctem. In conventibus ad horam quartam post meridiem datur potus cerevisiae determinatus, in stationibus vero a prandio usque ad coenam interminatus. E conventibus ad vespers in publicum prodire ad laicos conveniendos nunquam licet, cum e stationibus laici quotidie ad vespers conveniantur, communiter usque ad horam nonam et non raro usque ad mediam noctem. In locis conventuum nemini apud laicos cibum vel potum sumere unquam licet, cum in stationibus permittatur, ut pastores et sacellam quotidie apud laicos cibum vel potum sumant. Patribus conventuum non datur extra necessitatis casum licentia propriam familiam visitandi nisi semel per triennium cum e stationibus singulis annis saepenumero fiant excursiones ad consanguineos et amicos. Patres conventuum celebrantes jubilaum quinquaginta annorum exultant gaudio cum dimidiam vini legenam in festivo die a Guardiano accipiant, cum stationum pastoribus hujusmodi diebus concedatur licentia tales festas habendi dapes, ut clericis et laicis non raro praebeant scandalum. Sic pater J. Burgmeijer, pastor Amstelodamensis, qui etiam votum altissimae paupertatis Deo nuncupavit, occasione jubilai duo festa, unum in conventu Wijchensi, alterum in aedibus pastoralibus Amstelodami nuper celebravit, quorum prius festum nongentis florenis ei constitit, praesentibus fere omnibus patribus Capitularibus. Ita pater Athanasius Franciscus van Hemert tum Guardianus conventus Wijchensis, qui, celebrato festo, pastori J. Burgmeijer rationem nongentorum florenorum misit, et mille florenos ab eo in solutionem accepit.

Haec et plura alia esse continuae invidiae causam fratribus conventuum, qui eadem vota promiserint, at soli cogantur onus portare altissimae paupertatis; aut ansam praebere sacerdotibus junioribus pingua pastoralia anhelandi atque artibus inhonestis occupandi, quibus etiam mediocris ingenii homo facile intelligit. At haecce leviora, de quibus hic non loquor. Alias ex eo discrimine oriri vidi deordinationes,

quae ad majora divino honori salutique animarum inferenda damna natae essent. Parochias vidi per multos annos pastoribus oneratas, qui ad officium pastorale erant prorsus inhabiles. Pecuniam dari vidi, et data pecunia, vitia obscurari aut promoveri eos, qui publice deliquissent. Plures, quibuscum olim in conventibus vixeram, ibique religione fideque praefulserant, in stationibus, omni disciplina regulari abjecta, Sanctam vocationem suam amittere conspexi.

Querelas, accusationesque afferre, facile est, et etiam facilius eas negare, nisi gravissimis argumentis demonstrantur. Quapropter nemo mihi perperam interpretetur, si nonnullos casus ad dicta probanda in medium ducam; non enim licet mihi mala afficere suspicione innocentes tacendo reos; non licet mihi diutius perdere rem boni communis celando facta, quae ad ejus defensionem necessario commemoranda sunt. Si quis confrater illorum casuum veracitatem negare velit, palam se compareat, et gravissimis atque invincibilibus argumentis publice refutabo.

Sacellanus fui in Statione Woerdensi, ubi paulo ante pater C. van Werkhoven ex-Procurator Generalis et Pastor illius parochiae jussu Illustr. Domini Wilmer Episc. Harl. ex illa statione decedere coactus erat, quia ad officium pastorale non erat habilis. „Tuus Provincialis, inquit Episcopus cuidam Ordinis nostri patri, me tefellit, pater van Werkhoven non potest praedicare.“ Sacellanus fui Lichtenvordiae, ubi patrem J. de Bruin ex-Min.-Prov. et Pastorem Vordiae apud Lichtenvordiam cognovi, qui per viginti octo annos illa in statione fuit pastor, at ne semel quidem per hoc temporis spatium intra Missam cantatam praedicavit. Facilem quidem cum equo et curru, cum duabus ancillis, cum domestico saeculari et sacellano per viginti octo annos ibi duxit vitam, at ne semel quidem intra Missam cantatam annuntiavit verbum divinum, ne semel quidem per viginti octo annos continuos sermones quadragesimales habuit, quia non poterat. Ejus antecessor fuerat pater Steenmans, qui etiam praedicare non potuerat, et ibidem per viginti et unum annum moratus erat, ut Statio Vordensis per novem et quadraginta annos continuos non habuerit pastorem, qui pastoralis officio fungi valeret. Sacellanus fui Gorcomii, quae urbs Catholicorum duo millia sexcentos, et in praesenti centum

et viginti matrimonia mixta habet, ubi adhuc in praesentia vir munere pastorali fungitur, qui non aptus est, ut mares et puellas duodecim annorum Catechismum doceat; non aptus ut eos ad primam S. Communionem praeparet atque admittat: Semel ab anno 1883 usque ad hunc annum 1893, conatus est officium pastorale exequi, infantibus ad primam S. Communionem admittendis et tota solemnitas ipsius imperitia conturbabatur.

Sacellanus fui Delphis, ubi socius meus in pastoris camera invenit epistolam apertam, cui inscribatur: „Reverendo Patri Provinciali“, in qua epistola socius meus turpiter detractus et de me non omne bonum ab hujus stationis pastore W. Strik descriptum fuerat. Indignatus de ea agendi ratione, patrem J. Frix Min. Prov. circa mensem Majum de eo feci certiore. Verumtamen de mense Augusto venit quidam Ordinis nostri pater, qui centum florenos a pastore accipiebat conventui nostro Mosae Trajectensi; de mense Septembri venit frater laicus Ordinis nostri, qui trecentos florenos a pastore dono accipiebat conventui nostro Mosae Trajectensi; de mense Octobri venit pater J. Trix Min.-Prov., annuae visitationis causa quo tempore communiter a pastoribus nostris quota pecuniaria in manum Ministri Provincialis traditur, et tum litem perdidici. Minister Provincialis graviter in me invehebat, poenas mihi minabatur, poculum Campaniani cum pastore hauriebat et me migrare curabat.

Sacellanus fui in statione Franequeranensi, ubi pastor, postquam vinolentus a statione viae ferreae tabula aedes pastorales est transportatus, mihi dixit, se mille florens donaturum esse pro Collegii S. Antonii et conventus structura, quae Reverendissimus Pater Bernardinus a portu Romatino Min. Gen. Romae erecturus esset, eaque de causa a pastoribus nostris petivisset pecuniam; nemo, quamvis scandalum fuisset publicum, unquam de quacumque poena audivit. Idem pastor, pro cujus festo per urbem pagumque mendicaram ecclesiamque a fundo usque ad tectum decoraram, me crimine, quod non ego sed ipse patrarat, apud clericos incusavit. Postquam autem mihi dixit se mille et centum florenos dono dedisse nostrae Provinciae Seraphicae instituto, cujus cura Ministris Prov. imposita est, in Vicarium divecesium Ultrajectensis et Buscoducensis a Ministro Prov.

promotus est, quamvis de ea calumnia patres J. Trix et A. Kusters fecissem certiores. Idem pastor, postquam quinque conventibus nostris misit dona, a pater A. Ebben Min. Prov. coram facie ecclesiae corona aurea coronatus est in jubilaei sui festo.

Etiam sub regimine patris A. Kusters Ministri Prov., postquam pecuniam a pastore Gorcomiensi dono accepit, factum non est, quod faciendum erat, quamvis eum bis commonuissem de officio suo. Priore vice toti parochiae Gorcomiensi erat spirituali damno, posteriore vice erat pastoris contra Provincialia statuta nostra delictum.

Cum ista multaque alia expertus ac meis oculis videram, me non amplius continere potui, quin deordinationes cum legitimis Superioribus communicarem. Sentiebam, me non posse supplere, quod pastoribus, patrum Capitularium amicis ac benefactoribus deficeret; sciebam, Superiores sola bona et sincera voluntate prohibere posse innumerabilia peccata; videbam magnum thesaurum, qui reformatione disciplinae regularis patefieret; honores laudesque, quae Deo referrentur, hortum pulcherrimarum virtutum, quae exercerentur; altissimam paupertatem Deo voto solemniter nuncupatam, quae observaretur; aedificationem populi gloriamque Ordinis Nostri, quae inde efflorescerent, quapropter cum fiducia, cum intima persuasione ac certitudine me converti ad legitimos Superiores, eos humiliter et enixe rogans ac supplicans, ut regularem stationum disciplinam, quantum ministerium pastorale pateretur, ad normam nostrorum conventuum Ordinumque S. S. Ignatii, Dominici et Ligorii, qui in maximis Neerlandiae urbibus etiam habent stationes, restaurare ac reformare dignarentur, interea coöperationem Reverendissimorum Episcoporum invocans, quorum in territorio stationes habemus, iique in statutis nostris Provincialibus cap. 1 pag. 4 § 2 nobis „indicantur ut Superiores in iis, quae spectant ad curam animarum.“

Quatuordecim annos, Sanitissime ac Dilectissime Pater, fortiter pro ea re certavit servus Tuus, sed et quatuordecim annos ignoratus ac mortuus tacitus est. Tredecim longissimas epistolas, gravissimis argumentis refertas, hu jus rei causa misit Romam, et ad tredecim has longissimas epistolas non aliud responsum accepit, nisi una, exigua, negativa litterula nullius valoris; et tamen nusquam terrarum

reperit ullus vermis super terram, qui se magis sinuavit quam ego me hanc ob causam coram Reverendissimis Patribus Generalibus depressi, humiliavique; at demississima ac supplicissima quaeque deprecatio contempta atque tacita est mortua. Audi quaeso, Amabilissime Pater, quomodo servus Tuus epistolae, Reverendissimo Patri Aloysio a Parma anno '90 scriptae, finem fecit: „noli ergo, scripsi, noli ergo Aman-
 „tissime Pater, servo Tuo illam gratiam denegare, noli me amplius
 „confundere aut vacuum dimittere. Jam decem annos pro eare
 „laboravi; jam multum pro ea oravi, jejunavi et passus sum; noli
 „esse crudelis, immisericors in ipso regiminis Tui limine; etiam Tibi
 „in praesenti opus est divina misericordia, esto et mihi misericors.
 „Quis enumerare potest peccata, quae, regulari disciplina corrupta,
 „patrantur, et quomodo stare poterimus ante Judicis Nostri tribunal,
 „si Ejus rem non egerimus et propter hominum metum aeternam
 „sexaginta millium animarum salutem neglexerimus“? et quid,
 Sanctissime Pater, ad illas preces, quae durissimum quemque animum
 mollirent atque placarent, in responsis dedit? nihil, omnino nihil.
 Et tamen, Reverendissimus ille Pater universis fratribus paulo ante
 prima epistola Encijlica coram Coelo terraque promiserat, „se omnes
 „subditos paterno atque aequali dilecturum esse amore; de omnibus
 „et singulis curam habiturum sollicitam, ac cuique intactum daturum
 „esse jus suum.“

Generose promiserat: „oves sibi concreditas directurum ad salutis
 „pascua; devias ad ovile paternis vocibus reducturum esse etiam vitae
 suae sacrificio.“

Scio, Sanctissime Pater, Reverendissimos Patres Generales in hisce
 temporum angustiis non satis habere unde vivant; non satis, quae
 eorum conventui centum religiosorum quoad victum vestitumque sint
 necessaria. Scio, ipsos Revmos Patres Gen. e Ministris Provincialibus
 nostrae Provinciae et aliarum Provinciarum Seraph. pro diversis
 necessitatibus quaerere pecuniam, nam in Ordinis actis cum ipsorum
 approbatione singulis mensibus editis, inter alia legitur: „Et nos cum
 „fiducia ad vos convertamur, Patres Charissimi, praecipue vero ad
 „Ministros Provinciales rogantes ut, pro opere ad necessitatem, utili-
 „tatem et decus totius Ordinis concepto, obulum Vestrarum Provin-

„ciarum in numerata pecunia, iteratis vicibus quamdiu necessitas perduraverit suppositare velitis.”

Alio loco legitur: „eodem modo, praesertim a Confratribus extra conventum degentibus, eleēmosijna contribui poterit.” Insuper ab anno 1882 usque in praesentem diem ad calcem actorum Ordinis legitur: „Expensae pro imprimendis et transmittendis fasciculis a Curia Generali solventur ex spontaneis eleēmosiis a singulis Provinciis ad hunc finem absque dubio libenter oblatis.”

Certum est igitur Revdmos Patres Gen. pecunia indigere, certumque ab ipsis identidem quaeri e Ministris Provincialibus, eamque accipi, nam in iisdem Ordinis actis gratias pro acceptis agunt. Nos vero non sumus pecunia orbat; viginti quinque habemus stationes, quae tam hiberno quam aestivo tempore florent fructusque ferunt. Nonne temerarium esset iudicium, Sanctissime Pater, cum Reverendissimi Patres Gen. pecunia indigeant eamque petant atque acceptent, si quis affirmaret praecipuam protectionis ac benignitatis rationem, quae Revdmi Patres Gen. erga Ministros Provinciales praebentesse pecuniam? Sed et simul ex Sanctitate Tua quaero, num gratitudo pro acceptis tanta esse liceat, ut ea de causa honor divinus et salus multorum animarum millium negligenda sit? quaero ex Sanctitate Tua, num aequum sit humillimas ac justissimas ejusdem Ordinis fratris petitiones hanc ob causam rejicere atque contemnere?

Servus Tuus Revdum Patrem Alojsium a Parma Min. Gen. humiliter rogavit licentiam veniendi Romam et cum eo de reformatione colloquendi: Eundem Reverendissimum Patrem enixe efflagitavit, ut Pater Generalis ipse triennem Seraph. Provinciae nostrae visitationem instituere dignaretur. Ab eodem Reverendissimo Patre, qui coram Coelo terraque pollicitus erat se de omnibus et singulis fratribus curam habiturum esse sollicitam, ardentem petivi ac supplicavi ut mihi subveniret et ex angustiis meis salvaret. Eminentissimum Dominum Simeoni Ordinis nostri Protectorum de regulari nostrae Provinciae disciplina feci certiore ejusque patrocinium invocavi, et ad haec omnia ne mininum quidem responsum accepi, neque ulli postulato satisfactum est.

Servus Tuus supertriginta annos in S. Francisci Ordine vivit,

quorum viginti annos continuos nostris in stationibus moratus est, cum ex quindecim praecedentis Capituli patribus, decem patres simul sumpti ne unam quidem horam aut sacellanus aut pastor in Seraphicis stationibus nostris fuissent, caeterisque fere omnibus de propria causa dandum esset iudicium. Quapropter supplici voce eundem Revdum Patrem Aloysium a Parma oravi, ut servus Tuus vocaretur apud iudices, cuique concederetur gratia rem divinam coram omnibus congregatis Patribus Capitularibus perorandi atque defendendi, at non est dignatus ullum dare responsum.

Anno '87 scripsit mihi Prev. Pater A. Kusters, Min. Prov. hanc epistolam: „Eo die epistolam a Reverendissimo Patre Gen. accepi..., „menti agitans quae personae necessarias qualitates habeant, Reverentiam Tuam eligi; bona indoles, solida pietas et notus tuus animarum zelus testes mihi sunt, ut hoc momentosum atque honorabile „officium Tibi tranquillo animo concedere possim Data die 17 Nov. „1887 ex conventu nostro Mosae Trajectensi A. Kusters Min. Prov.“

Anno '90 scripsit mihi Rev. Pater A. Ebben, Min. Prov. hanc epistolam: „cum mihi persuasum sit de religioso animo Tuo deque „moralitate Tua plane securus sim, postulato Tuo satisfaciam, licentiam petendo a Patre Reverendissimo ut Tibi gratiam in Terra „Sancta laborandi concedat. Data die 31 Jul. 1890 ex conventu „nostro Werthensi A. Ebben, Min. Prov.“

Illa gratia mihi a Revdmo Patre Aloisio a Parma Min. Gen. recusata est. Meipsum obliviscens, facilemque pastorem vitam contemnens, iteratis vicibus humiliter rogavi exstirpationem abusuum, quorum perniciosissimas sequelas gravissimis argumentis indicaveram et ad haec omnia altissimum silentium servatum nec minimum responsum datum est, at quare, Sanctissime ac Charissime Pater; non respondent Ministri Tui? Patribus Prov., cum epistolas mittant Romam, e vestigio respondetur, quare et mihi Revdmi Patres Gen. non respondent? et ego homo sum, et quas causas, quasque qualitates quis, non habens pecuniam, habere debet, ut responso aut aliqua gratia ministrorum Sanctitatis Tuae fiat dignus?

Multo etiam magis apparet injuria, si perpendas, pecuniam a pastoribus Rev. Ministris Provincialibus et a Ministris Prov. Rever-

endissimis Patribus Generalibus datam, non esse eorum sed populi mei, charorum in Neerlandia liberorum Tuorum. Fortissimus ac nobilissimus ille populus, inter Dei Ecclesiaeque adversarios natus et enutritus, jura divina et ecclesiastica ab infantia cognoscere, amare ac defendere didicit, quapropter Paternitatem Tuam filiali amore diligit atque prosequitur; quapropter ultimum obulum ad divinum honorem suamque spirituales salutem promovendam grato hilarique animo sacerdotibus nostris offert; quapropter etiam ad divina Tuaque aeterna jura defendenda suos filios misit Romam atque tradidit in mortem; at quo nomine, Sanctissime ac Amabilissime Pater, vocatur, nam ego Sanctitati Tuae sincere fateri debeo, me non posse invenire verbum, quo nomine vocatur, quam pecuniam ad cultum divinum suumque spirituale commodum promovendum fortissimus ac nobilissimus ille populus ministris Sanctitatis Tuae obtulerit, ad ejus detorqueri perniciem et spirituale damnum?

Tandem silentium Reverendissimi Patris Alojsii animis damnosum atque perniciosum esse, modo adhuc longe aptiore ex eo patet, quod Ordo noster in praesenti quindecim millia numerat sacerdotum, qui omnes sub illius unius Patris Generalis sunt jurisdictione. Curae horum quindecim sacerdotum millium, salus plurium decies centenorum animarum millium concredita est aeterna; si igitur Revdmus ille Pater Generalis illa quindecim sacerdotem millia eodem modo tractet et tractare pergat, quo me tractavit et ideo justissimis ac ferventissimis cujusque sacerdotis, cujuscumque conditionis vel gradus petitionibus pronas aures accomodare recuset, quid Sanctissime ac Dilectissime Pater, quid fiet de aeterna illorum decies centenorum animarum millium salute? quid injuriam auferre poterit eis illatam?

Haecce omnia luce clariora gravissimis argumentis ac supplicissimis verbis in longum et latum Revdmis Patribus Generalibus et Provincialibus demonstravi explicavi, at non solum altissimum silentium tenuerunt et continuam fugam ceperunt, verum etiam artes ac stratagemata adhibuerunt a quibus homo Christianus et vir bonae indolis abhorrent et nauseant.

Dignare quaeso, Domine mi Rex, dignare quaeso paulo adhuc sustinere famulum Tuum, ut enarret, quantum propter illud opus,

amore erga Deum et proximum susceptum, pati debuerit. Non dubitat servus Tuus, quin Sanctitas Tua sit miratura.

E vestigio me Reverendus Pater A. Ebben Min. Prov.. cum exiguum negativam Revdmi Patris Bernardini litterulam anno '89 ita refutasset, ut nihil de ea superfuisset, ad conventum revocavit; et die noctuque custodiendum tradidit Guardiano, qui ad Herodis crudelitatem multo magis appropinquet quam ad Salvatoris Nostri mansuetudinem; qui dum epistolam ad commiserationem Patris Generalis implorandam ei porrigebam, ea ira mihi succensuit, quae virum-fortem animum amplius scribendi demittere posset. Quo non contento, cura animarum ita privatus et ex hominum conversatione extra conventum amotus sum, ut clerici laici, cognati noti me pro malefico suspensoque haberent atque necessario habere deberent. Deinde cum hac via non successisset, ut sponte desererem Ordinem nostrum, neque orare destituissem, ut Superiores disciplinam stationum reformare dignarentur, Pater Marianus Joosten, Praefectus Gijmnasii Venradiensis, postquam a Prev. Patre A. Kusters ex Min.-Prov. et pastore Rotterodamensi revenit, anno '91 die octava Octobris circa horam septimam ad vespertas intravit in cellam meam: „venio, inquit, temoniturus, ut Ordinem nostrum deseras“, istud nunquam, respondebam; „puto, reposuit, ut Ordinem nostrum deseras cum dispensatione Romana“; etiam istud nunquam, respondebam; tum ille „nihil aliud tibi superest, quam ut viginti adhuc annos, usque ad mortem tuam hac in cella miseram ducas vitam, et fac finem amplius scribendi, nam nihil tibi proderit“. Uterque Rev. ille Pater post illa servitia praestita in ultimo Capitulo anno elapso 20 Sept. habito in Collegium patrum Definitorum prima vice aggregatus est. Porro cum infelix patris Joosten machinatio me ad infidelitatem votorum solemnum Deo nuncupatorum commovere non potuisset, iterum mihi scripsit Rev. Pater A. Ebben Min. Prov., qua epistola me rogabat, nam ex Seraphica hac Provincia emigrare. domiciliumque meum ad urbem Lille in Galliam transferre vellem, interea nova statuta construens, quibus regularis stationum disciplina non modo non est reducta ad primaevam institutionem, sed potius usus spiritualis liquoris apud laicos tot scandalorum fomes, sacellanis pastoribusque conceditur liberalior largiorque

quam priora statuta permittebant. Primo die hujus anni nova illa statuta introduxit, et cumtres dies viguerant, quarta die Dominus vivorum et mortuorum venit, virumque, qui divinum honorem et salutem sexaginta millium animarum, quae nostris sacerdotibus hac in regione concreditae sunt, multum promovere potuerat ac debuerat, at non fecerat, ita improvise e vivis eripuit, ut tempus eum absolvendi vix superfuisset; ita improvise atque inopinato, ut hora decima mortuus esset, cum dimidia hora ante in conventu commeasset et tres patres nostri conventus die quinta acciperent, quas epistolas die quarta sua manu scripsisset. Tristi illo eventu, tam apto ad cujusvis hominis animum salutare metu afficiendum, usus sum, ut cor Revdmi Patris Alojsii emollirem, iterum eum rogans, ut reformationem instituere mihi benevolam reponsum mittere dignaretur. Die 18 Aprilis hujus anni illam epistolam scripsi, et die 29 Maji idem Revdumus Pater Aloysius a Parma Min. Gen. me poena decem dierum afficiebat et per Rev. Patrem B. Franssen Min. Prov. hodiernum mihi denuntiabat fore ut ipso facto suspensionem perpetuam a divinis incurrissem, si semel adhuc illam rem attigissem vel de ea locutus fuisssem. Hoc est unicum responsum, quod ad omnes epistolas hujus rei causa ad Reverendissimum illum Patrem missas, accepi.

Sane, hujuscemodi poenas, comminationesque aptissima esse stragemata ad fortissimum ac probissimum quemque sacerdotem metu afficiendum; aptissima, non solum ad benefactoribus, qui ab officio claudicaverunt, placendum eorumque famam conservandam, verum etiam ad faciendum, ut si non majore, tamen eadem liberalitate in posterum contribuant obulos, quisque intelligit. At quo nomine, Santissime ac ter Amabilissime Pater, vocatur, nam ego iterum ex corde fateri debeo, quod nomen nesciam; quo nomine vocatur, alteri sui commodi causa detrudere? quo nomine vocatur, in conspectu omnium hominum poena et infamia afficer innocentem ut fama conservetur reorum neve delicta transgressorum innotescant? Plus quam quatuor annos pro malefico suspensoque hoc in conventu quasi in carcere inclusus otiose commeo; Suspensionem perpetuam a divinis incurram, si semul adhuc quidquam pro divino honore et animarum salute suscipere audebo; atque sententia adhuc viginti annos, usque ad

mortem meam, miseram hac in cella ducendi vitam a patre Joosten in me pronuntiata est, cum alii, qui publicum dederunt scandalum, magnumque Deo et animis per multos annos intulerunt damnum, maxima fruantur libertate atque honoribus laudibusque cumulentur; at quis vir, Charissime Pater, quis vir bonae indolis, qui justitiam amat eamque sine ullo personarum respectu se exerciturum palam promisit, eo modo justitiam exercere possit? aut quis homo Christianus qui ad divinum honorem salutemque animarum promovendam etiam suae vitae sacrificio se obstrinxit, defensorem divini humanique juris poena usque ad mortem puniat, ut eis placeat, protegatque qui per multos annos utrique intulerunt damnum?

Obsecro, mi Domine Rex, ne irascaris, si paulisper adhuc loquar. Summam illatam injuriam nondum enarravit servus Tuus.

Cum per omnia dicta stratategata revera nihil refutatum nihilque reformatum esset, et insuper tribunal Reverendissimi Patris Aloijssii non sit nec summum nec ultimum tribunal, eundem patrem Franssen Min. Prov. humiliter rogavi, ut mihi concederet gratiam paucos dies morandi in Hollandia, ut libere auscultare possem, qua via me et legitime et certo in Sanctitatis Tuae clientelam conferre valerem; at illam gratiam mihi recusabat.

Ad hoc reposuit servus Tuus, cuique captivo miselloque homini in angustiis versanti; toto terrarum orbe, etiam aqud gentes barbaras concessum esse jus defensionis; quapropter iterum orabam ut et mihi illud jus concedere dignaretur; sed recusando perstabat.

Concedere quidem volebat, ut muneribus sacerdotalibus denuo, etiam aliquando extra conventum fungerer, at facultatem paucos dies in Hollandia morandi; ut eam rem via legitima defendere possem, mihi claris et expressis verbis interdixet.

Eo modo ministri Sanctitatis Tuae revera facti essent invincibiles; sed et eodem tempore actum esset de divino honore animarumque salute promovenda et ego omnesque afflicti nunc et in posterum destituti essemus novissima salutis spe, patrocinio dico omnium fidelium Patris, si iste agendi modus liceret. Nam hic, Charissime Pater, hoc in conventu nemo iter paternam protectionem Tuam impetrandi mihi aperire audet; si quisquam hoc in conventu mihi iter panderet

ad Sanctitatem Tuam, eodem forsitan modo condemnaretur, quo ego condemnatus sum. Ex hoc conventu per epistolas me in Sanctitatis Tuae clientelam commedare, est mihi prorsus impossibile; nam non solum Revdmum Patrem Alojsium oravi ac supplicavi ut epistolas meas ad Sanctitatem Tuam transmittere dignaretur, verum etiam, egomet tres epistolas ad Pontificem S. Ecclesiae Maximum misi neque ullum responsum accepi. Illae epistolae simpliciter depressae sunt, et nunquam earum argumentum cum Sanctitate Tua communicatum est, ut in epistola dñodecima hujus rei causa Romam frustra missa, clare ac perlucide demonstravi.

Si igitur, Amabilissime Pater, ministri Sanctitatis Tuae ad omnes epistolas, gravissimis argumentis refertas, altissimum silentium tenent, continuam fugam arripiunt, atque nos in conventu omnibus humanis destitutos, occasione appellandi Sanctitatem Tuam exarant, quid Charissime ac millies Benedicte Pater, quid fiet, quid fieri poterit de quocumque conatu, de quocumque zelo ac studio ad divinum honorem salutemque animarum promovendam? quid aliud nobis superest nisi debilitas animi, nisi desperatio ac servitus, omnium malorum in hac lacrymarum valle postremum?

At Sanctissime Pater, nonne haec omnia injuria est, qua nemo unquam divino humanoque juri inferre potest majorem?

Nonne Tibi, Christi in terris Vicario, totius Romanae Ecclesiae Capiti et omnium fidelium Patri scire licet, in quibus angustiis subditi Tui versentur? Nonne aequum ac justum est, quando ministri Tui contemnunt humillimas liberorum Tuorum preces, qui sanguinem pro Tuo jure effuderunt atque suos filios tradiderunt in mortem, aditum occasionemque esse ad Sanctitatis Tuae patrocinium invocandi? Si ministri Tui petitiones nostras audirent atque exaudirent, forsitan non opus esset, at si non audiunt ac per quatuordecim annos nos tacent mortuos, atque insuper ad appellandam Sanctitatem Tuam facultatem dant nullam, quid Amabilissime ac Sanctissime Pater, quid nobis aliud sperest nisi infernus terrester, ex quo nulla est redemptio nisi per mortem?

Haec omnia perpendens, eidem Reverendo Patri Franssen libere et intecte dixi, ut si jus defensionis, quod ubique terrarum homicidis

omnigenisque maleficis conceditur, mihi hac in extrema necessitate non donaret, via publica me defenderem.

Ne autem ullus homo me de aliqua praecipitatione aut de quacumque duritate adversus Reverendum illum Patrem accusare posset, spatium ad se deliberandum utrum illam gratiam concedere vellet nec ne, decem dierum ei dedi, at hactenus, post quatuor menses non est dignatus mihi mittere ullum responsum.

Eligo ergo tuta conscientia viam publicam, et demississima reverentia ac maximo filiali amore cum omnibus Neerlandiae et Italiae fidelibus appropinquo ad Regale Solium Tuum, enixe orans ac supplicans, ut Sanctitas Tua ob divinum honorem, aeternam plurimum decies centenorum animarum millium salutem, gloriamque Ordinis nostri ad exitum illam rem perducere dignetur. Eum in finem immote confidens paternae bonitati, notaeque justitiae Tuae in cuique tribuendo jus suum, ante pedes Sanctitatis Tuae humiliter depono triplex hoc postulatam:

Primum. Cum omnes Seraphicae Provinciae unam familiam, unumve Ordinem constituent, et e rei natura liqueat, Superiores de subditorum facultatibus disponere posse. Cum dona non raro excaecent et difficulter hodie ad rectum tramitem reducantur, qui heri magnam summam pecuniariam dono dederint, humiliter peto, ut pastores Seraphicae nostrae Provinciae non amplius in posterum Ministris Provincialibus; neque Ministri Prov. non amplius in posterum Ministris Generalibus quidquam donent sed ut ille de pastorum et hi de Ministrorum Provincialium facultatibus in posterum pro necessitatibus suis ad libitum disponant.

Secundum. Cum omnes homines ad divinum honorem salutemque animarum promovendam graviter adstringantur. Cum preces subditorum contemnendo, tacendoque mortuas, omnis conatus omnique stimulus ac zelus ad hoc officium faciendum extingatur, januaque omnigena injuria afficiendi aperiatur, humiliter peto ut ministri Sanctitatis Tuae in posterum subditis cujuscumque conditionis aut qualitatis honeste ac rationabiliter postulantibus ad honeste respondendum strictissime obligentur.

Tertium. Cum vota nostra Deo solemniter nuncupata, quae

quidem possimus exsequi strictissime obligemur. Cum exsecutio eorum maxima ex parte ministerio pastoralis optime conjungi possit, ut e vivendi modo aliorum Ordinum in maximis Neerlandiae urbibus stationes habentium, abunde patet, humiliter peto, ut regularis stationum nostrarum disciplina eo modo restauretur ac reformetur, quo servus Tuus in epistola diei 18 Aprilis hujus anni proposuit.

Benevolum responsum Tua manu scriptum et Apostolicam benedictionem humiliter efflagitans, summae reverentiae ac maximi filialis amoris fideique sensis maneo

Sanctitatis Tuae Dilectissimus ac devotissimus filius
pf. RAPHAEL T. A. REIJNARD.
 Germaniae Inferioris Provinciae sacerdos.

Data die mensis Novembris 1893.
Mega in Neerlandia.
